Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2147
Quelle:
Copyright:



*Spilberg* Virginum O. Cist. Asceterio ad Superos a. demum 1334. abiit.

DCCCXCVII.

R. 3354 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 148. 4. min. curate scriptus et minio distinctus totus musicus est, exhibetque in Schemate quinque linearum Notis quadratis et caudatis primum *Kyrie eleison* et *Gloria in excelsis* pro variis diebus festis anni, dein a *fol.* 15. *Introitus*, *gradualia* et *Versus* per annum, primum de Tempore, dein de SS. Festis, demum mixtas *Hymnis Sequentias*, quae sunt *Notkeri Balbuli* editae a *Bern. Pezio* T. I. *Thes. Anecdot. col.* 18. ut docuit collatio, sed hic impositis cantus signis animatae. Ex *Hymnis* multi in desuetudinem abiere, atque ut specimen dem, en unum aliquem *de S. Cruce.*

*Laudes crucis attollamus*
*Nos, qui crucis exultamus*
*Speciali gloria.*
*Dulce melos tangat coelos,*
*Dulce lignum dulci dignum*
*Credimus melodia.*
*Voci vita non discordet,*
*Dum vox vitam non remordet,*
*Dulcis est symphonia.*
*Servi crucis crucem laudent,*
*Qui per crucem sibi gaudent*
*Vitae dari munera.*
*Dicant omnes, dicant singuli:* *
*Ave salus totius seculi,*
*Arbor salutifera!*
*O quam felix, quam praeclara*
*Fuit haec salutis ara*
*Rubens agni sanguine,*
*Agni sine macula,*
*Qui purgavit secula*
*Ab antiquo crimine.*
*Haec est scala peccatorum,*
*Per quam Christus rex coelorum*
*Ad se traxit omnia,*
*Forma cujus hoc ostendit,*
*Quae terrarum comprehendit*
*Quatuor confinia.*

*Non sunt nova sacramenta,*
*Nec recenter est inventa*
*Crucis haec religio.*
*Ista dulces aquas fecit,*
*Per hanc silex aquas jecit*
*Moysis officio.*
*Nulla salus est in domo,*
*Nisi cruce munit homo*
*Superliminaria.*
*Ligna legens in Sarepta*
*Spem salutis est adepta*
*Pauper muliercula.*
*Sine lignis fidei.*
*Ne lecythus olei*
*Valet, nec farinula.*
*In scripturis sub figuris*
*Ista latent, sed jam patent*
*Crucis beneficia.*
*Reges credunt, hostes cedunt.*
*Sola cruce Christo duce*
*Unus fugat millia.*
*Ista suos fortiores*
*Semper facit et victores,*
*Aegros sanat et languores,*
*Reprimit daemonia*
*Dat captivis libertatem,*
*Vitae confert novitatem;*